



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Summarie proponuntur eius dogmata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Ita mutatum correctumque uti diversa exemplaria conuincunt) & quidem furtive, ex Gallica Calvinistarum confessione (a) quae A. 1561. dicitur Carolo IX. Regi oblata esse, subiecta, quo ad sensus plures, etsi Belgica verbosior sit, & magis garrula. (a) In publicam tamen protulit opus hoc, primo vnus alteriusue Ministri, minus sapientis admiratione laudatum, postea plurimum, & quae parum sapientium, accessione approbatum in vulgare sensum vsu inductum est. & specioso nomine Ecclesiarum Belgicarum fuit inuestitum. Sed & si omnium Ministrorum confessione ea confessio fuisset integris aliquot annis expolita ac decreta, nullam tamen maiorem vim certitudinemque obtineret, quae cuiusdam Conspirationis, sine legitima autoritate conflata, cum in rebus Diuinis, nemo habeat potestatem ordinandi, nisi ei sit desuper legitima traditio concessa, de qua legitima traditione potestatis in diuinis, aut animarum regimine sibi concessa, nemo Reformatorum Ministrorum haecenus vllum hominem valuit edocere, aut quenquam reddere securum, ut ipsi agnoscerent, & facti sunt tot iam annis exagitati. A quois grandis provocatio ad speculum veritatis. (b)

II. Porro Confessio illa Belgicarum Ecclesiarum, continet multa dogmata, de quibus ipsi Reformati nesciunt, an sint ad salutem necessaria scilicet multo minus, an sola haec sint explicite scienda; & multo adhuc minus, an sint Norma fidei saltem secundaria? (nam prima Norma omnino apud eos esse debet scriptura sacra) sed & alia quam plurima sunt in ea confessione, de quibus ipsi responderi nesciunt. Praecipua vero dogmata perditionem animarum concernentia in dicta confessione sunt, quae declarant quodnam sit Verbum Dei seu scriptura diuina art. 3. 4. 5. 6. 7. ad quam, veluti ad Regulam confessio illa Fidem nostram iubet exigi, enumeratque tum libros Canonicos, tum sua privata opinione Apocryphos. Deinde ex hac ita determinata scriptura art. 8. 9. 10. 11. eadem confessio narrat quid de Deo Patre, Filio, Spirituq; secundum se, credant Reformati, tum quid de eodem, ut creatore & gubernatore omnium art. 12. 13. 14. deinde quid de Adami peccato & repromissione ei facta, & impleta per incarnationem D. N. I. Christi tenendum sit art. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Etiam quid Redemptor nobis praestiterit boni art. 21. & 23. & quomodo nobis applicetur istud bonum, siue ipse Christus Dominus, nempe per Fidem solam, art. 24. 25. quantumque per eam solatium habeant Reformati in Christo art. 26. Dicit etiam aliquid eadem confessio de Ecclesia Catholica, quid sit agatque, quamque

sit necessaria, & unde nosci queat & quas habeat Rectores nempe Ministros Seniores, & Diaconos instar Senatus. Ciuiles autem Dominos instar Magistratus dicentis, dummodo ex Ministrorum arbitrio decernant & agant ab art. 27. ad 33. item 36. & 37. denique de Sacramentis duobus, scilicet vlt. Baptismo & Coena articulis 34. 35.

Atque ita Finis Confessioni imponitur, omittis plurimis, quae necessario creduntur, uti carnis Resurrectio, quae agi oportet, ut Oratio, & quae obseruanda sunt uti Praecepta Dei, ut iure meritisimo pars ipsorummet Reformatorum, in speculum tanta imperfectione huius confessionis, tantaque lubricitate & falsitate dogmatum in ea contentorum, etiam secundum domestica principia Reformatorum, eam tamquam stupidam & insulsam damnarit, & per scripturam sacram emendare seu eius errata demonstrare ausa fuerit, unde Remonstrantes ab aduersaria parte, qui Confessionem erraticam mordicus defendendam suscepunt, iidem appellati.

III. Nolo hoc loco Confessionis antedictae errores ex Catholica Ecclesia principijs propalare, ac conuincere, sed solum ex ipsis Remonstrantium nempe fratrum suorum Scriptis, inter Acta sua editis, idque quam breuissime. Igitur limatiore ingenij, quam caeteri, crassiores & obesa naris Reformati, Doctores Remonstrantes conquesti sunt.

S. Confessionem illam Belgicam, a se ipsa in diuersis exemplaribus, quae tamen pro authenticis omnia habeantur, discrepare, inde euidenter esse, non illam spiritus sancti, qui in se suisque dictatis perpetuo constans est, fuisse dictamen, sed ingenij humani paulatim proficientis, & errores suos deprehendentis & mutatis partibus. Asseruerunt proinde iidem in eubere Synodo Reformatarum Ecclesiarum, ut determinaret, quodnam sit genuinum exemplar, ex quo Fidei debeant consistere, tam vulgus quam Praedicantes eorum.

2. Confessionem eandem multum discrepare a Confessionibus aliarum Ecclesiarum Reformatarum in Helvetia, Gallia, Palatinatu, Anglia editarum. Exempli loco, Belgica Confessio art. 29. confitetur, tertiam notam verae Ecclesiae esse, Si disciplina Ecclesiastica, ut vitia corrigantur, obtimeat & huius disciplinae

Bbb 2

a Videndum Geneva A. 1612. vel etiam alibi editum Corpus vel Syntagma Confessionum Fidei, quae in diuersis Regnis nomine Ecclesiarum fuerunt edita. b Authore P. Ludoco Ked Soc. Iesu Sapium in Germ. edito, ad quod speculum obtinuerunt; vel si locuti, delirare conuicti sunt tam Calviniani quam Lutherani Respondentes.